

99 762





Thefes
DE BAPTISMO,

De quibus, iuvante DEO,

PRÆSIDE REVERENDO
VIRO D. IOHANNE MATTHAEO
Smalcaldensi, S. Theologiæ Doctore & Professore, ordi-
naria Disputatione M. NICOLAUS GRE-
GORIVS Holsatus, respondebit, in auditorio
Collegii novi, Die xv. Ianuarii,
manè hora vii.



WITTEBERGÆ.
Ex typographia Simonis Gronenbergij,
M. D. LXXXV.

16.

DE BAPTISMO

PRÆSIDE R. EVERENDO

VIRI D. JOHANNIS MATTHIAS

...

...

...

...



29 F 62



Theſes

DE BAPTISMO.

I.

Alii retinent græcū vocabulum Baptismi. Græcis enim βάπτειν & βαπτίζω, est intingere, immergere, lavare. Vt *Marci 7.* Venientes a ſoro Phariſai non edunt, *ἕδν μὴ βαπτίζωνται*, niſi laventur. Et ibidem lotiones poculorum vocantur *βαπτισμὸν ποτηρίων*.

II.

Baptismus autem interdum ſignificat crucem, ut *Marc. 10.* Potestis Baptismo, quo ego baptizor, baptizari? Interdum etiam nomine Baptismi ſignificatur totum ministerium, ſub quo comprehenditur quoque doctrina, ut *Actor. 18.* ubi Baptisma Johannis de toto ministerio Johannis, id eſt, de doctrina, & baptismo doctrina ejus annexo, intelligi neceſſe eſt. Quoad noſtrum inſtitutū Baptismus ſignificat novi Teſtamenti Sacramentum, quo aqua baptizamur in nomen Patris & Filii & Spiritus ſancti.

III.

Habet præterea Baptismus noſter plures appellationes

A 2

tiones

tiones. Veteres enim Baptismum appellarunt signum
Christiane professionis, Sacramentum fidei & novae
vitae. In sacra scriptura vero appellatur Baptismus,
baptismus poenitentiae: symbolum afflictionum & tri-
bulationum: ablutio peccatorum: lavacrum regenera-
tionis: indumentum Christi: & stipulatio bonae con-
scientiae erga Deum.

IIII.

Baptismus itaque est Sacramentum sive sacra
actio novi Testamenti, habens mandatum divinum,
constans ablutione hominis peccatoris per aquam, &
pronunciatione horum verborum: Ego baptizo te in
nomine Patris & Filii & Spiritus sancti: institutus
non solum ut sit initiatio aut organum incorporationis
in Christum, cooptationisque in Ecclesiae filiorumque
Dei κοινωνία, aut ut sit medium regenerationis & sancti-
ficationis per Spiritum sanctum, qui datur baptizato
ad mortificandam carnem, & novam vitam incho-
andam: sed etiam, ut baptizato sit infallibile signum
novi foederis, & testimonium gratiae & favoris Dei,
ablutionis & remissionis peccatorum, & salutis eter-
nae, &c.

V.

Scholastici cum veteribus de triplici Baptismo do-
cuerunt

cuerunt: Fluminis, Flaminis, & sanguinis. Et hanc doctrinam inde sumserunt, quòd Christus ad Nicodemum locutus est, non solum de baptismo aquae, sed etiam de baptismo spiritus: tertium verò, quem sanguinis vocant, sumserunt ex eo, quòd Christus passionem suam & martyrium, nominat aliquoties baptisum, ut Luc. 12. & alibi.

V I.

Sed si dicendum quod res est, unus tantum est Baptismus, qui fit in aqua, ad Ephes. 4. Unus Dominus, una fides, unum baptisma, &c. Cetera a quocumque saltem dicuntur baptisinata, hoc est, secundum quãdam attributionem. Sicut enim typi & figura veri Baptismi, baptisinata dicuntur, ut mare rubrum & nubes, 1. Cor. 10. Ita spiritus & sanguis attributive dicuntur Baptisinata fluminis & sanguinis.

V I I.

Neque Iohannis Baptismus, est alius à Baptismo Christi & Apostolorum, quia discrimen nullum est, vel in Ceremonia externa ministerii, vel in effectu. Vtrobique enim eadem est doctrina, eadem fides, eadem remissio peccatorum, & idem ritus baptizandi. Certum quoque est, Christum caput nostrum non in alio baptisinate baptizatum esse, quam nos, qui sumus membra ipsi-

us, nunc baptizamus: Omnes enim in unum corpus baptizamus, & Christum induimus per Baptismum. Verum Christus baptizatus est baptisate Johannis: necesse ergo est, ut Baptismus Johannis sit unus & idem cum nostro, id est, cum Baptismo Christi & Apostolorum.

V III.

Discrimen itaque Baptismi Johannis & Christi querendum est in circumstantia temporis, personarum & officiorum. Temporis, quia Johannes baptizavit in Christum jam manifestandum: Apostoli verò & reliqui ministri in Christum manifestatum, passum & resuscitatum. Personarum, quia Johannes & alii sunt tantum ministri: Christus verò est Dominus ipse & Messias. Officiorum, quis omnes ministri baptizant aqua, id est, adhibent externum ministerium: solus Christus baptizat Spiritu sancto & igni, ut est Matthaei 3. Ergo solus Christus est Dominus baptismi, qui dat Spiritum sanctum regenerantem, & efficaciter operantem per ministerium.

IX.

Ex historia illa, Act. 19. demonstrari non potest, quòd duodecim isti viri à Iohanne ipso fuerint baptizati prius: nedum quòd Baptismus Iohannis à Baptismo

ptismo Christi in effectu differat: aut, quòd omnes
baptizati Iohannis Baptismate, necesse habuerint iterum
baptizari Baptismate Christi. Nec Anabaptista ex
historia illa habent, quo errorem suum aut stabilire aut
regere queant. Isti enim rebaptizant eos, qui in infantia
rectè & ritè sunt baptizati. Hic verò baptizati scri-
buntur, qui prius nec rectè instituti, nec ritè baptizati
fuerant, ut multorum eruditorum fert sententia. Quia
tamen hic locus est subobscurus, & sententia Interpre-
tum variant, sinimus unumquemque suo sensu abun-
dare.

X.

Causa efficiens Baptismi est sancta Trinitas. Ab
hac enim Baptismus immediate mandatus est, & in
nomine Patris & Filii & Spiritus sancti administra-
tur.

XI.

Ad hanc causam etiam ministri Ecclesie referun-
tur, non quidem ut auctores, sed ut administratores Ba-
ptismi. Trinitas enim per Ecclesie ministros baptizat.
Et causa instrumentalis efficienti annumeratur.

XII.

Quamvis autem extra casum necessitatis nulli liceat
baptizare, cui Ecclesie ministerium non est commissum, in
casu

et si tamen necessitatis conceditur laicis & fœminis, ut
baptizent, ne per defectum Baptismi ex dilatione non
necessaria causatum, homo salutis suæ dispendium pati-
atur. Minimè igitur adulterinum, profanum & into-
lerabile est, si his personis Baptismus in casu necessitatis
conceditur, sed potius temerarii sunt isti, & arrogantia
ebrii, qui hac in re propriū iudiciū tot Ecclesiis anteferunt.

XIII.

De hereticis negantibus personarum ὁμοδοξίαν, qua-
les olim erant Photiniani & Paulianistæ, & nunc
sunt Antitrinitarii & Servetiani, in concilio Nice-
no cap. 19. definitio prolata est, quòd tales, si ad Ca-
tholicam Ecclesiam confugiant, omninò sint baptizan-
di, cùm negantes ὁμοδοξίαν etiam in nomine Patris &
Filii & Spiritus sancti non baptizent.

XIIII.

De aliis verò hereticis ὁμοδοξίαν non negantibus fu-
it olim tempore Cypriani disputatio, propter Donatistas
schismaticos. Cyprianus censuit hereticos non habere
baptismum, ideo baptizatos ab illis, denuo in Ecclesia ba-
ptizandos esse. Sed tota Ecclesia usque in hodiernum
diem Cypriani sententiam repudiat. Sentit enim Ca-
tholica Ecclesia, verum baptismum dare, quicumque sit
Baptista, modò formam à Christo traditam seruet.
Baptizatus

XV.

Baptizatus tamen, ut & illud addamus, ab heretico vel schismatico, necesse habet, ut ad Ecclesiam Catholicam accedat, ut in ea rectè instituatur, & in ea sit, quia extra Ecclesiam non est salus.

XVI.

De ceteris autem malis ministris, qui tamen non sunt heretici, sed solum malis moribus præditi, sententia Ecclesie est contra Donatistas, quòd Baptismus à ministro, quantumlibet malo, ritè secundum institutionem Christi collatus, verus sit & efficax cujuslibet sui effectus, nisi fuerit per malitiam suscipientis adulterii impeditus.

XVII.

Hæc de malis ministris non dicuntur ad excusandam illorù malitiam, de qua quilibet gravissimas Deo dabit pœnas: sed tantùm ad salvandam Baptismi veritatem & integritatem.

XVIII.

Verissimum est, aquam solam esse proprium elementum & materiam Baptismi Christi. Ipse enim aqua baptizatus est in Jordane à Johanne præcursoresuo. Et ad Nicodemum dixit: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, &c. Et constat, Apostolos aqua baptizasse. Nã Act. 10. inquit Petrus: Quis prohibere potest, quò minus aqua baptizentur hi, qui Spiritum sanctum acceperunt.

B Et

Et observanda est hæc ratio. Quidquid specie differt ab aqua elementari, non potest esse materia Baptismi. Constat autem, hæc omnia, ignem, vinum, oleum, sanguinem, cerevisiam, jusculum carniuum, aquam mulsam, & alia, specie differre à naturali sive elementari aqua. Certissimum igitur est, neutrum horum Baptismi elementum fieri posse.

Sicut autem causse instrumentales & ministeriales annumerantur causse efficienti: sic quoque ad questionem causse materialis pertinet materia circa quam. Cum igitur Baptismus versetur circa baptizandos, merito baptizandi appellantur materia Baptismi circa quam.

Hic occurrit questio, de Christo Domino nostro, cur voluerit baptizari, cum Baptismi fines ipsi non competant. Quod autem voluerit, testantur ipsius verba ad Johannem Baptistam venientem baptizare eum. Sic decet nos, ait, omnem justitiam implere.

Quatuor igitur rationes hujus decentie recensentur, quarum prima est, quod voluerit circumcidi & baptizari Christus, ut ostenderet, se esse Salvatorem Judæorum & Gentium. Secunda est, quod voluerit approbare

approbare Baptismum Iohannis, & omnium ministro-
rum, suo exemplo. Tertia est, ut caput cum membris
etiã in externa fœderis Ceremonia jungeretur. Quar-
ta ratio est, ut publico testimonio ordinatus & confir-
matus officium suum inchoaret, atque manifestaretur
mundo, quod factum est testimonio Iohannis, aperti-
one cœli, apparitione Spiritus sancti in specie columbae,
& voce Patris sui cœlestis, quasi manifesta inaugura-
tione.

XXIII.

Ab exordio Baptismi Christi baptizatos esse tam
infantes quàm adultos, tota credit & confitetur Chri-
sti Ecclesia.

XXIII.

Quare si baptizandus erit adultus, precedat insti-
tutio, deinde sequatur confessio fidei, coram Ecclesia,
& demum baptizetur.

XXV.

Instituendus est autem adultus in Catechismi par-
tibus, idque propter duas causas, primò, ut ex audi-
tu Decalogi agnoscat peccata, & habeat normam vi-
væ rectè instituendæ, & ex articulis fidei fidem concipi-
at. Et deinde, ut se voluntariè ad obedientiam, &
cultum Deo prestandum, obliget. Manifestum est e-
nim, impœnitentibus Baptismum non esse conferendum.

B 2 Hinc

XXV I

Hinc etiam planum est, infideles adultos, sive Iudei sint, sive Turcæ, ad fidem & Baptismum non esse compellendos.

XXV I I

Etsi autem infantes per præcedentem institutionem ad Baptismum preparari non possunt, sicut adulti: tamen à baptismo Christi non sunt arcendi. Christus enim inquit, Mar. 10. Sinite parvulos venire ad me, quia talium (id est, eorum, qui mihi offeruntur, & super quos invocatur nomen meum) est regnum cælorum. Item Matth. 18. Non est voluntas Patris vestri, qui in cælis est, ut pereat unus de puerulis illis. Inde colligimus, regnum Dei, id est, promissionem gratiæ, & vitam æternam, non ad solos adultos, sed etiam ad infantes pertinere, qui tamen inserti sunt Ecclesiæ. Et, quod extra Ecclesiam non sit remissio peccatorum, & salus æterna. His duabus propositionibus constitutis clarè sequitur conclusio: Infantes necessario inserendos esse Ecclesiæ per Baptismum, in quo super eos invocatur nomen Dei.

XXV I I I

Adhæc certum est, infantes nasci cum peccato, nec fieri heredes vitæ æternæ sine remissione peccatorum. Instituit autem Deus in Ecclesiæ ministerium remittendi peccata, & distribuendi remissionem peccatorum per
verbum

verbum & Sacramenta. Ergo, infantibus impertien-
dum est hoc beneficium per Baptismum.

XXIX,

Item. Ad quos pertinet promissio, ad eosdem per-
tinet etiam signum traditum propter promissionem, ni-
si circumstantia quadam signi aliquem excipiat. Cer-
tum est autem, promissionem gratiæ pertinere ad in-
fantes: Ergo necesse est eis applicari signum per mi-
nisterium, quo super eos nomen Dei invocatur.

XXX

Mandatum quoque de Baptismo est universale,
& ad totam Ecclesiam pertinet. Johan. 3. Nisi quis
renatus fuerit ex aqua & spiritu, non intrabit in re-
gnum cælorum. Pertinet igitur etiam ad infantes, ut
fiant pars Ecclesiæ.

XXXI,

Licet autem naturâ perditii sint & damnati etiam
Christianorum liberi, Ephes. 2. & quidquid ex carne
natum est, caro sit, Joh. 3. segregati tamen & exempti
sunt è numero illorum infantum, qui ex infidelibus
nascuntur: idque ex promissionis Formula, quam re-
petit Petrus Act. 2. Vobis est facta promissio & fi-
liis vestris, & omnibus qui longè sunt, quoscunque
advocaverit Dominus Deus vester,

XXXII.

Hæc promissio efficit, ut jus civitatis Dei ad Chri-
stianorum

B 3

stianorum

Christianorum infantes pertineat, quamobrem per Baptismum in Ecclesiam recipiendi sunt. Hoc jure carent omnes infantes, qui extra Ecclesiam nascuntur, & extra cœtum vocatorum, donec & ipsi vocentur. Ideo Ecclesia infidelium infantes, invito parentibus, non baptizat.

33. Quamquam verò regenerationem fieri docemus per Baptismum tanquam instrumentum sive medium, per quod Spiritus sanctus efficax est: tamen non negamus, Deum omnis misericordie remittere quoque peccata Christianorum infantibus, & sanctificare multos, quos necessitatis articulus ab usitatis mediis excludit.

34. Quamobrem sicut non omnes beatos, ita etiam non omnes damnatos judicamus, qui absque Baptismo moriuntur: & abstinemus à dura sententia Augustini, qui infantes absque baptismo discedentes in aeternum damnatos esse pronuntiavit, pœna tamen mitissima.

35. Hinc manifestum est, non solum baptizandos esse adultos, qui fidem habent, quam ex auditu verbi, operatione Spiritus sancti, conceperunt, sicut Anabaptistæ contendunt: Sed etiam infantes, ut fidem cum remissione peccatorum per baptismum & preces piorum, quæ non sunt irrita, consequantur. Infantes enim donum fidei occultè accipere, non negamus.

36. Quare tantum abest, ut Anabaptistarum argumentum, à fidei carentia sumptum, infantes à baptismo arceat, ut potius vehementer urgeat, illos ad baptismum portandos, ut fidem per operationem Spiritus sancti accipiant, & salutis fiant participes.

37. Campanæ non possunt esse materia baptismi circa quam, Quare illarum Baptismus in Papatu usurpatus, non est Sacramentum: Sed est abusus, contemptus, & corruptela Baptismi Christi.

38. Usitatum est, formalem baptismi causam dicere immersionem in aquam, cum pronuntiatione verborum: Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.

39. Quod ad ritum attinet perinde est, sive quis immergatur in aquam, sive aqua super ipsum infundatur. Liberum quoque est semel vel iterum immergere vel aspergere. Sed ita tamen liberum, ne liceat alicui pro suo arbitrio aliquid innovare. Nam ministri Ecclesiæ ad præsentem morem Ecclesiæ, in qua serviunt, sunt obstructi.

40. Quod ad pronuntiationem verborum attinet, scholastici superstitione

iose & magicè ferè, imò ad stuporem usq; sunt solliciti, ut rectè & convenienter pronuncientur verba: quæ sollicitudo non aliunde est, nisi ex doctrina de opere operato.

41. Observandum igitur, et si in Baptismo hæc usitata verba: Ego baptizo te in nomine patris & filii & spiritus sancti, omnino retinenda sunt, nec cuiquam permittendum est, ut hæc verba pro sua libidine & temeritate mutet, ac aliis verbis pro suo arbitrio in baptismo utatur; tamen hic usus rectè est intelligendus.

42. Nam Christus non collocavit fundamentum baptismi sui super certis literis aut syllabis aut dictionibus, nec alligavit nos ad certa verba. Non enim instituit Magiam, quæ ad certam verborum formam & ritum alligata est; Sed instituit cœlestia sacramenta, quæ constant sua ipsius sententia & voluntate, his vel illis verbis nobis significata.

43. Scriptura sacra nullibi facit mentionem, quibus verbis Apostoli baptizarent; Sed hoc tantum significat, quod baptizarent in nomine Iesu Christi. Baptizari verò in nomine, vel in nomē Christi, est, ex ipsius mandato & jussu baptizare. Deinde est baptizare in hunc finem, ut Christo credas, Evangelio obedias, & vocationem ejus secteris. Postremò in nomen Christi baptizari, est in communionem omnium bonorum Christi consecrari, inseri & incorporari.

44. Baptismus conditionalis nullius est momenti. Quare si inquiri nullo modo potest: An infans aliquis sit baptizatus, sine conditione baptizetur, ut sciatur certò, quod sit baptizatus.

45. Institutio quoq; baptismi non hoc vult, ut sit vulgaris aliqua lotio, multò minus mimica actio; sed ut sit sacrosancta actio, quam Christus suæ Ecclesiæ instituit. Cùm igitur in joculari baptismate non servetur institutio, voluntasq; dandi Baptismum Christi & accipiendi, non est Baptismus, qui ludendo & jocando administratur. Quod autem Ruffinus scripsit de Athanasio puero, lib. 1. Cap. 14. quiddam peculiare est, ex quo generale judicium ferri non potest.

46. Principalis præterea Baptismi finis est, ut sit novi Testamenti sive fœderis, hoc est, Evangelicæ promissionis de gratuita remissione peccatorum propter Christum, signum sive sigillum, juxta definitionem Sacramentorum

eramentorum generalem. Deinde Baptismus est me-
dium & instrumentum, per quod datur gratia Dei,
& remissio peccatorum, & per quod Spiritus sanctus
est efficax, & regenerat ad vitam aeternam. Postre-
mò Baptismus nota est & signum Ecclesiae, discer-
nens Christi populum à non baptizatis omnibus.

XLVII.

Habet etiam Baptismus suas significationes, quia
admonet nos de pugna spiritus & carnis, & inchoatione
nova vitae. Consepulti sumus cum Christo, inquit A-
postolus Rom. 6. per Baptismum in mortem, ut quo-
modo Christus resurrexit à mortuis per gloriam patris:
ita & nos in novitate vitae ambulemus.

XLVIII.

De effectibus porrò Baptismi primo omnium sciendū,
quòd effectus illi Baptismo adscripti, non sint ab eo tan-
quam à causa efficiente vel impulsiva: sed tanquam à
causa instrumentali, quia Baptismus est medium sive
instrumentum, per quod sancta Trinitas, Pater, Fi-
lius, & Spiritus sanctus est efficax.

XLIX.

Neque sint ex opere operato, de quo Scholastici
docent, qui fidem beneficia Baptismi apprehendentem
prorsus damnant: & in locum fidei opus operatum
substituunt, & Anathematismis defendunt. Nec e-
nim

nim verum est, Sacramenta esse signa efficacia, nisi hoc modo efficaciam dixeris, quod si adsit fides indubitata, certissime & efficacissime gratiam conferunt.

L.

Ad probandum characterem, quem fingunt Papista imprimi animabus baptizatorum, Thomas illud Pauli detorquet, 2. Cor. 1. Deus signavit nos, & dedit pignus spiritus in cordibus nostris, &c. Apostolus vero non dicit, quod Deus per spiritum dederit, hoc est, impresserit animabus nostris signum & pignus: sed vult Spiritum in corda nostra à Deo datum, nobis esse signaculum & pignus. Igitur ipse Spiritus sanctus in cordibus nostris est unctio & pignus nostrum.

L I.

Interea tamen non negamus, Baptismum ipsum rectè vocari posse characterem, quia est nota Ecclesia & nostra professionis. Et hac ratione Augustinus lib. 2. contra Parmenianum cap. 13, Baptismum confert nota militari, & ipsum characterem nominat.

L II.

Precipuus itaque Baptismi effectus est remissio sive ablutio peccatorum, sive universalis remissio culpe originalis, actualis, mortalis & venialis.

L III,

Aliud autem est remissio peccati, & aliud peccati expurgatio sive depositio. Remissionem peccatorum

C apprehendit



apprehendit fides: depositio verò peccati est exercitiū
spirituale mortificationis carnis. Tantiū autē de peccato
expurgatur, quantum de eo per spiritum mortificatur.

LIIII.

Verum est illud Augustini: Tolle peccatum in
Baptismo non ut non sit, sed ut non imputetur. Vnde
Scholæ docent: Formale peccati remitti & prorsus tolli:
materiale verò manere. Errant tamen in eo, quod cō-
tendunt, materiale illud, quod vocatur concupiscentia,
non verè & propriè peccatum dici, contra Apostolum,
qui ad Rom. 7. scribit: Concupiscentiam nesciebam pec-
catum esse, nisi lex dixisset, non concupisces.

LV.

Cum igitur Baptismus omnem culpam deleat, et-
iam ab aeterna pœna absolvit. Verum quod attinet ad
pœnā temporalem, manet illa, quia soluto jam reatu pec-
cati, materiale manet, auferetur tamē à justis in resurre-
ctione, quando immortalē & incorruptibile hoc, induet
incorruptibilitatem & immortalitatem, 1. Cor. 15.

LVI.

Non autem solum in Baptismo, per remissionem
culpæ & aeternæ pœnæ auferitur à baptizatis malum:
sed etiam per Sanctificationem Spiritus sancti confertur
illis bonum.

LVII.

Inde certum est, omnes Baptizatos equaliter accipe-

re

re effectū Baptismi, quantū ad culpæ pœnæq; æternæ remissionē: sed quod attinet ad dona Spiritus sancti, quorum Deus est causa principalis, inequalitas est, quia distribuit de donis unicuiq; secundū quod vult, 1. Cor. 12.

LVIII.

Docent Papista, effectum sive gratiam Baptismi per lapsus subsequentes prorsus amitti, & irritam fieri, ita ut in vera pœnitentia, ejus, qui post baptismū lapsus est, fides ad eam gratiam reverti & redire nullo modo, & nullo unquam tempore possit: sed jam circumspicienda sit alia tabula nostra scilicet contritionis & satisfactionis, cujus virtute ad portum salutis vehamur. Hæc doctrina Papistica enervat verum effectum Baptismi, cum vero ejus usu.

LIX.

Semel baptizati, inquit Lutherus, assumti sumus in numerum salvandorum, & per Baptismum Deus æternum gratia fœdus nobiscum pepigit. Quod verò post baptismum sepe labimur, non fit Baptismus irritus: sed sicut gratia Dei in æternum manet & regnat, Psal. 118. ut ad eam post lapsum reditus pateat, omnibus non negantibus gratiam, nec ei repugnantibus: ita quoq; baptismus semper manet, nec potes à baptismo tam procul cecidisse, ut eum non liceat iterum apprehendere: nec opus est, ut tibi novum Baptismum instituat Deus, &c.

C 2 Quidam

LX.

Quidam olim Judaei Labant, putantes, pueros octavo tantum die baptizandos, sicut in circumcissione octavus dies observatus fuerat. Sed in Concilio quodam Carthaginensi secus decretum est. Qua de re extat rescriptum Concilii lib. 3. Epist. 8. Cypriani.

LXI.

Vetus Ecclesia observavit duo tempora in anno, ut habent quidam Conciliorum Canones, & Paparum Epistole, scilicet tempus Paschatos & Pentecostes. Sed hac consuetudo in observatione temporis, nostra aetate prorsus in desuetudinem abiit.

LXII.

Vt autem vetus Ecclesia, adultos baptizandos ante susceptionem Baptismi docuit & instruit: ita quoque illos ipsos, antequam ad Baptismum accederent, exorcizavit, in hunc finem, ut diaboli potestatem, sub qua, tanquam in regno ejus, in gentilismo fuerant, fugarent, ne Baptismum impediret.

LXIII

Hac de Catechismo & Exorcismo in baptizandis adultis observata, translata sunt ad Baptismum infantum: & quod cum adultis actum est, quoad Catechismum & Exorcismum ante Baptismi susceptionem, id nunc, cum infantes baptizantur, in ipso actu Baptismi peragitur. Primò enim exorcizantur infantes: deinde

deinde quoque catechizantur, hoc est, interrogantur
de articulis fidei Apostolica,

LXIII L

Rationem hujus translationis esse volunt, ut sit si-
militudo rituum in Baptismo infantum & adultorum.
Dissimilitudinem enim rituum etiam Baptismi dissi-
militudinem præ se ferre.

LXV.

Sed satis est ad ostendendum unitatem Baptismi,
observare ea, quæ ad substantiam ejus pertinent, &
habent Christi mandatum: etsi accessoria illa non si-
mili ratione observantur. Quamobrem poterant omit-
ti, quæ, quoad infantes, nullam, ut fiant, habent ratio-
nem.

LXVI.

Cum ergo Exorcismus res sit adiaphorica, de eo
non aliter judicandum est, quam de aliis ejus generis
rebus, videlicet, quod liberum sit retinere illum, &
liberum sit non admittere, ubi antea non fuit in usu.

LXVII.

Non ejicitur per Exorcismum demon, quasi infan-
tes corporaliter obsessi sint: sed precipitur diabolo, ut ty-
rannidem suam in infantem exercere desinat, & Spiri-
tui sancto cedat. Qua præceptione admonemur, infan-
tem in peccatis conceptum & natum, esse in regno sa-

C 3 tane,

tana, & transferri per Baptismum in regnum Christi, inseri Christo & Ecclesia ejus. Hoc modo usus exorcismi non est impius & magicus.

LXVIII.

In veteri Ecclesia parentes Christiani non cogebantur statim adferre infantes suos ad Baptismum: sed liberum erat illis, infantium suorum Baptismum differre, donec per aetatem fierent Catechumeni.

LXIX.

De eo verò, an expediat hunc morem etiam hodie observari, audiamus iudicium Lutheri, quod extat in libro Colloquiorum convivialium, loco de Baptismo, his verbis descriptum: Vesperis quodam loquebatur Lutherus de paedobaptismo, & dicebat, quòd olim multi distulissent infantium suorum Baptisma, ad aetatem usque adultiorem, idque hac opinione, quod, cum viderent Christianorum liberos in infantia baptizatos, plerumque à Christianismo deficere, & impie, juxta morem hujus mundi, vivere, cogitarent multò tutius esse, baptismum differre, usque ad annos discretionis, quàm in infantia susceptum, postea peccatis suis commaculare. At tamen omnes bonos Christianos, baptismum in summo honore habuisse. Videbatur quidem, inquit Lutherus, pius error, sed occasio malitiae erat.

Nam

Nam, cum Augustinus & alii tam serò baptizarentur,
didicerunt Baptismū contemnere, ut ut postea baptiza-
ri renuerent. Tutissimum igitur est parvulos adhuc in-
fantes baptizari.

LXX.

De necessitate Baptismi Apologia Augustana Con-
fessionis quedam habet, in qua haec verba extant: No-
nus articulus approbatus est, in quo confitemur, quòd
Baptismus sit necessarius ad salutem, & quod pueri sine
baptizandi, et quòd baptismus puerorum non sit irritus,
sed necessarius & efficax ad salutem.

LXXI.

Sciendum tamen, externum baptismum aqua non
esse simpliciter & absolutè ad salutem necessarium, nec
facere hominem per se ex ipsa operis sui actione Christia-
num: sed tantum necessitate consequentiā, hoc est, pro-
pter causam efficientem atque finalem, quia divinitus
ordinatus est, ut suscipiatur: &, quia est signaculum
acceptiois nostrae, & organum spiritus sancti.

LXXII.

Hac necessitas patitur dispensationem. Non enim
simpliciter privatio, sed contemptus Sacramenti damnat,
sicut hac in re Patres omnes & Scholastici consentiunt.

LXXIII.

Scimus quoque, semel factum Baptismū manere
perpetuum

perpetuum testimonium & fœdus. Quare lapsi non iterent ceremoniam, sed admoniti fœdere, quod antea factum est, redeant ad propositam reconciliationem per veram pœnitentiam.

LXXIIII,

Apostolus docet 1. Cor. 10. Transitum filiorum Israël per mare rubrum, fuisse ipsis Baptismum, ubi inquit, Omnes in Mosen baptizatos fuisse nube & mari. Et Pet. 1. Pet. 3. scribit: octo animas servatas fuisse in aqua temporibus Nœ, cui nunc correspondeat exemplar Baptismi. Quare nubes & mare, diluvium & arca fuerunt figura Baptismi.

LXXV.

Has Theses de Baptismo, non duntaxat disputandi gratia propositas, sed etiam furoribus Anabaptistarum, & aliorum circa Baptismum erroribus oppositas, atque fidei & doctrine sue de Baptismo adultorum & infantium, confessionem perpetuam, Præses hujus Disputationis esse vult.



99 7 62

ULB Halle


3

002 141 981



Nur für den Lesesaal





Thefes
DE BAPTISMO,

De quibus, iuvante DEO,

PRÆSIDE REVERENDO
VIRO D. IOHANNE MATTHABO
Smalcaldensi, S. Theologiæ Doctore & Professore, ordi-
naria Disputatione M. NICOLAUS GRE-
GORIVS Holsatus, respondebit, in auditorio
Collegii novi, Die xv. Ianuarii,
manè hora vii.



WITEBERGÆ.
Ex typographia Simonis Gronenbergij,
M. D. LXXXV.

16.

